



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Ven. Viri Thomæ Malleoli A Kempis, Canonici Regvlaris
Ordinis D. Avgvstini. Opera Omnia**

Thomas <von Kempen>

Dvaci, 1625

Argvmenta Hvivs Capitis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-45790](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-45790)

stant, qui tamen conuersatione sua multum à sanctis distant. Multi etiam nomen religionis habent, qui tamen adhuc seculari vita torpent. Multi foris quiescunt ab occupationibus ex officio commissis, qui nondum tamen conquiescunt ab exter- narum rerum concupiscentiis. Ex quadam enim infirmitate spi- ritualis feruoris prouenit, quòd plures in quiete videntur posi- ti: nec tamen ut dignum est, sibi vacare nituntur. Ideo (ut factum est) in loco Mariæ huiusmodi sectatores negligentiæ redarguuntur tanquam ab igne diuini amoris alienati, & in deuotione tam remissi. Sed quæ vera est Maria, sectatur semper Iesu vesti- gia, & dicit cum sponsa: *Sub umbra illius, quem desiderauit anima mea, sedi, & fructus eius dulcis gutturi meo.* Hæc pauca de ministe- rio Marthæ & orio Mariæ, si considerata seruentur sollicitè, fiet ut post præsentis labores, reddatur nobis fructus dilectionis, cum corona iustitiæ Amen.

Cant. 8.

CAPVT TERTIVM.

ARGVMENTA HVIVS CAPITIS.

DE commendatione Marthæ, & fidelis dispensatoris.	§. I.
De profunda abnegatione sui.	II.
Declaratio literalis illius Cant. <i>Introduxit me rex in cellaria sua.</i>	III.
Qualiter te ipsum consolaberis in Christo.	IV.
Dua interrogationes fiunt.	V.
De spiritali intellectu, super eodem verbo.	VI.
De aspiratione ad celestia.	VII.
De spiritali esu & potu, de cellariis Christi.	VIII.
De hilaritate vultus & promptitudine, ad externa opera charitatis, post gustum diuina suauitatis.	IX.
Quis sit aptus diuinis colloquiis.	X.

§. I. De commendatione Marthæ, & fidelis dispensatoris.

INueni adhuc aliquid suauis in scripturis sanctis, quod te (o Martha) delectet in officio tuo. Tunc enim opera nostra leuio- ra fiunt nobis & dulciora, si confirmationem trahant ex eloquiis sanctis, atque imitationem demonstrent iustorum præcedentium ex- emplis. Vilescere possent fortè opera pietatis apud non intelli- gentes virtutum merita, nisi forent à beatissimis hominibus ma- gna cum deuotione continuata. Magnus quoque honor est; & nullius erubescentiæ locus: quando pro caelesti regno sponte quis se humiliat & seruum facit, exemplo Iesu Christi & sancto- rum eius incitatus. Dicit enim in Canticis sponsa, figuratè osten-

Labor no-
bis leuior
collatus
cum exem-
plis anti-
quorum
ex sacris
litteris.